4

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICO-CHYMICA, DE MINERA MARTIS SOLARI, SEU ACIDULARUM ARTIFICIALIUM MATERIA,

Qvam,

Indultu Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,

publico Philiatrorum examini exponent

PRÆSES

DN. JOHANNES THILE,

Med. Doct. & Prof. Publ. Extraord.

ET


RESPONDENS

JOH. ERASMUS Egerland/

In Auditorio Medicorum.

ad diem VI. Maji.

Anno M. DC. LXXXII.



WITTEBERGÆ, LITERIS BRÜNINGIANIS.

Ὠφέλιμον, Θεὸς, ἐκτέλει ἔργον!

§. I.

TAm profunda mineralium doctrina, ut unius hominis non ſit, eam intimius noſſe. In uno ſæpenumero operam cum vita quis finit, nec tamen claram ac conſummatam ejus nanciſcitur ſcientiam. Diu certè doctorum curioſorumqve exercuit ingenia Marcaſitarum ſeries, qvarum naturam clarius explicare nemo hactenus fuit aggreſſus. Cum Veterum monumenta luſtramus, non eſt, qvod enucleatius de iis ſcriptum ſit, pyritis, marcaſitæ ſubinde mentionem faciunt, ſed dolendum, ſi pertractatam earum naturam habuerint, Harpocraticô eosdem ſilentiô presſiſſe negotium. Mediam Marcaſitas inter lapidem & metalla ſervare naturam cum Agricola aſſeruit, Canepar. Deſcript. I. de pyrît. vehementer in Fallopium invehens metallorum matricem negare audentem, uſu tamen rerum teſtante continere & metallorum, & omnium mineralium ſemina, præſertim ☉orum, qvæ vel ſponte, vel arte reddere aſſolent. Turgent quippe ſucco minerali, quem ☿ium Sulphur. nuptum tota chymicorum cohors exclamat, excoqvendo & vel in ſummum evehendo faſtigium, qui cum iniqvis excludatur temporis ſpatiis, prodit marcaſita virtute ſæpius ipſum ſibi propinqvum metallum præcellens. Et quanqvam in proverbium abierit harum venas foſſorum animum ſuſpendere, ut in incerto ſint quid laturi, vili forma egregias dotes celante, altiori attamen peritiâ inſtructis in facili eſt, aurum argentum ſimiliaq; ♁is ope eruere. Ac quis Marcaſitarum in Medicâ arte vires ignorat? ♄ ſanè ſatis bona mundificativa concedens, nunquam ea præſtabit, quæ ♉. Biſmutum & Talcum ea ſuppeditat Coſmetica, quæ in nullo alio invenies. Cynci fl. in oculorum affectibus miris laudibus extollit Nobiliſs. Robert. à Boyle. Apparet inde quantum damnum ex harum ignorantia rei Medicæ acceſſerit, quod non tam

multum jucunditatis, quàm utilitatis promittant. Ambarum amore ducti præsentem dissertationem DE MINERA MARTIS SOLARI conscripsimus, argumentum esse rati impensâ operâ non indignum. Ne autem præter rem excrescant chartæ parciores in verbis erimus ac ea in medium hic proferemus experimenta, quæ ex varia hujus Marcasitæ tractatione in promptu habemus interspersis nonnunquam quibusdam, qvæ ⊕li ingenium explicant, adjiciemus compendia nonnulla, recensebimus tandem usus, qvos plane egregios possidet. Qvod propositum ut feliciter teneamus, divinum Numen precamur, cæptis nostris se misceat!

§. 2. Ne autem illotis, qvod dicitur, accedamus manibus, ordine enumerare lubet Marcasitarum differentias, ut nostræ natura luculentius pateat. Diversitatem regionum subinde alio charactere notare mineralia abundè in scriptis suis memoravit Theoph. Paracelsus, causam rejiciens non vanô consiliô in influxum astrorum plus minus benignum, unde auguratur congregationem planetarum eorumqve cum inferioribus intimiorem conjunctionem fertilissimos omnium ærum efficere tractus, qvales Carinthiam ostendere affirmat, vid. eundem in Chron. Carinth. Hinc non omnis fert omnia tellus, ejusmodi conjunctione non ubivis contingente. Leonhard. Thurneysserus zum Thurn in tract. **von kalten und warmen Metallischen und Minerischen Wässern** decem & qvinq; disparia pyritum genera variorum Metallorum comites percenset, aquilum, viridem, flavum, ♀eum, Sulphureum, nigrum, ☽arem, ♄inum, aqueum, ☉arem, fuscum, album, ⊕osum, rubrum & cœcum. Duritiem pyritum expendens Caneparius cùm l. c. contra Fallopium disputat, refert alios duros metalli divites, alios molles, neq; percussionem sustinentes, neque △em edentes multâ materiâ metallicâ fumosâ ac indigestâ constantes, quâ △is ope in cadmiam elevatâ remanens lapis vertitur in calcem subrubeam & fit diphryges. Axiomatis ergo loco tenendum, quantò magis durus, gravis & crassus pyrites, tantò ditior metallô. Constituit Avicennas tot differentias, quot numerantur metalla, qvem seqvutus Agricola Libr. X. de natura fossil. Lapidem χρυσίτην, ἀργυρίτην, χαλκίτην, μολύβδεναν, σιδερίτην ordine recenset, qvos tamen omnes fermè subdividit iterum brevitatis studiô omittendos. Quod △em alius evomat, alius minus, alius plane non vid. apud

Auto-

Autores Canepar. Agricol. Albini. Non omnes Marcasitas ex montibus effodi, sed qvasdam in aqvis & fluviis reperiri, rei metallicæ peritis exploratius constat. Nondum dixi de figuris, qvas immuneras variorum respectu sortitur Marcasita. Modò enim rotundam, modò oblongam, modò cavam ad instar fistularum formam servant, modò digitos, modò alias partes exprimunt, modò figuras Mathesi usitatas referunt, modò glabræ & politæ, modò asperæ & deformes, & qvis omnia genera pertexeret? Qvi in his erudiri cupit, adeat Agricol. Libr. X. de natur. fossil. p. 655. Canepar. descript. de pyrit sæpius citata, Albinum in Chron. Mineral. Misnens. p. 139. Mathes. in Sarept. p. 506. Sed ad rhombum rei.

§. 3. Qvam nunc animus est accuratius expendere mineram, ex Hassia apportatur, ▽æ Hassiacæ nomine ideò insignita. Sunt & alia nomina variè ipsi imposita. Vulgò vocatur Yckens teste Jorhenio in Prax. Chymiatr. aliis ▽ Alenbrot, communissimè doctis in rem penitius intuentibus minera ♂tis ☉laris. Causam, qvod sic appellarent, non unam comminiscimur. Noverunt veteres Philosophi Marcasitam admodum divitem auri, culpandô silentiô hactenus pressam, cui cum splendore nostra proximè accederet, factum inde, ut qvidam cerebro magis, qvàm △i tribuentes hanc marcasitam auream experientia refragante exclamarint. Non dubitarem asserere indidisse potius nomen ob menstruum, dum nulli adeò paret, nisi aëreò ☉aris naturæ participi, qvod durissimam Marcasitarum non adeò magno temporis spatio in minutissimas particulas comminuere valet, egregiô argumentô virtutum egregiarum ex minera nostra eruendarum. Qva de causa & Poleman. tract. de sulph. Philosoph. subinde vehementer, sed tempestivè inculcat in separatione sulphur. à mineralibus ejusmodi menstrua in usum esse vocanda, qvæ mixtis in omnibus qvàm simillima sint, & qvo fixiora sulphura eo penetrantiora esse adsciscenda menstrua. Et qvid prohibet, qvò minus vel ob solam virtutum excellentiam id nomen ipsi imponerent? Non locus hic recensendis sulphur. hujus virtutibus, sed inferius qvædam de medicamentis, qvæ suppeditat, monebuntur, abundè testantia vel cum ipso auro metallorum nobilissimo certare. Foditur autem minera hæc abundantissimo apparatu in Meg-Almeroda (Groß-Allmeroda) vico secundo super Cassellas lapide jacente ex argilla colore externo sub nigrô intus striis ☉aribus notabilis, penitus insipida,

 admo-

admodum dura, figurâ nunc rudi nunc, in superficie tuberculis o-vum columbinum, variè in his architectatrice natura ludente, exprimentibus conspicuâ, nunc majora ova repræsentante, unde ova illa, qvæ circumferuntur Philosophica. Videtur ergo qvod non adeo à verò aliena sit promissio junioris Helmontii qvâ fidem Sulzbachi Bechero dedit, se in experimentis suis Chymicis adhuc in lucem emittendis edocturum modum ex communi limo & sulph. & qvidem in magna copia conficiendi verum ferrum. Ipse Becherus desiderio rei admodum curiosæ rubrîcam (Rötelstein) in 🜄 ⊖is solvit, atqve extracto omni colore in communem limum album redegit, ex qvo ollam fieri curavit, qvæ in ustrina m. omnes veri limi qvalitates obtinuit, vid. eund. in Phys. subterran. p. m. 174.

§. 4. Nunc de primis Marcasitæ hujus initiis expositurus gravem arduamq; rem mihi explicandam sumo, qvod neminem præeuntem hic habeam, sed nisi naturam struentem artemqve destruentem in partes qvis vocaret, Præceptore omnino esset carendum. Gnaviter tamen in omnibus has sectabor ac initiô ex natura audiam, qvæ principia ipsi dederit, post ex arte cognoscam, qvid menstrua qvatuor elementaria efficiant, qvid 🜍tatio, qvid combinatio qvid vitrificatio producat?

§. 5. Prius verò qvam Naturam in his consulamus, è re maximoperè esse videtur ⊖is illius universalis mentionem movere. Qvis non universalem diceret, qvem & per universum 🜁em explicatum, & omnium rerum, poros earum subeundo, animam esse ultro videmus? Qvippe qvam perpetuam in Microcosmo sator rerum voluit circulationem, eandem nec Macrocosmo denegavit ☉is siderumqve motui tribuendam, ut mutuo ac amico cum superioribus consensu inferiora conspirent, unde Hermetis effatum, qvod est superius est sicut inferius. Ex hujus circulationis lege balsamicus, ⦶osum puto acido volatilem, ⊖is universalis genius, immediatô partim, partim mediatô appulsu 🜃æ globum penetrat. Sin immediatè subtilissimarum, dixissem fermè insensibilium, particularum specie impingat, varias induit facies, diversosq; Hippocraticos efformat sapores variante plus minus subjecti conditione, omniumqve generationum, fermentationum ac corruptionum fit auctor. È contrario si mari concentratus advehatur diluaturqve aqvâ ejus, vel 🜄æ ⊖inæ specie, vel vaporis formâ intima 🜃æ viscera perrumpit, mineralium rudiora semina, æqve ac ani-

malium

malium & vegetabilium mirè evolvit, & usq; ad ultimam manum perficit. Obvius itaqve subterraneo bitumini, qvô ad luxuriam montes abundare nemo ignorat, hic ⊖ universalis factus, accessu plus minus ▽æ ☿alis viscidæ corporisqve 🜃ei mole gravitateqve suâ cætera superantis ac detinentis particulisqve suis se interponentis, in densum qvoddam corpus coagulat, temporiqve ac △i subterraneo, qvod restat, committit. Subterranei verò hujus △is actio nunqvam suspensa, sæpius intensa, fundamenta nondum adeo firma substructa æqve ac vulgi △is facile disjicit, 🜍umqve horum ^nus hinc inde agitando vel accendit, vel in ▽am detrudit. Facta ergo acrior ⊖ibus qvibus nupsit ▽ haud otiatur, aggreditur ♀eas atqve ♂ales mineras ac indefesse rodit, usqve dum depluat, qvod in ⊕orum materiam concrescat; qvam tamen conclusam vix in ⊕lum efflorescere videbis, nisi liberior paulò △, qvem affinitatis jure meritò cum Hornio ▽am siccam appellamus, in superficie circulans aut in 🜃æ cavernis detentus humectatione sua opus absolvat. Nec ignobiliora solùm ita rodi metalla, qvin ipsum etiam ☉em & ☽am asserit Zvvelffer. in Mantiss. Spag. cui ambiguæ rei non parum lucis affert illud Becheri, qvô ad infimas redactus monetarius aqvaf. ex ⊕lo Hungarico parata ad amissas opes iterum provectus. Profligatur his simul eorum sententia de metallicarum particularum in ⊕lo præsentia disceptantium; at qvis accuratius generationis ⊕li rationem habens de parte matallica hæsitaret? Adstruit præter ea Paracels. Libr. de rer. nat. ort. ex Colcothare ⊕li solius △is ope veram eruere ♀rem. Seriò itaqve nobis natura in tractatione harum rerum inculcat, magnâ sedulitate ediscere, omnes generationes, augmenta ac corruptiones ⊖ia parentes habere, uti ▽ elementum nemo matricem eorum negare audebit, ut qvàm digitos nostros novimus, tam hæc principia teneamus.

§. 6. Interim ne confusioni ansam præbeamus ⊕li & sulph. in se spectatorum distinctio adstruenda. Eqvidem non diffitendum arctissimo cognationis vinculo sibi innecti ⊕lum & 🜍, adeo, ut nullum inventurus sis ⊕lum, cui sulphur non dederit initium. Nolunt tamen vulgare sulphur interpretari Alchimystæ sed embryonatum illud, cui à 🜃estri corpore separando qvæ manus sufficit? De embryone ita Paracals. Cap. VII. de sulphure: Bey dem Namen Embryo ist zu verstehen / daß da sol ein sulph. gemerckt werden / der da kömt von der Geburt einer Frucht. Sie sey

von

von Metallen oder Steinen/ und nicht allein die zwey/ sondern auch Art der Corporalitäten/ als Vitriol/ Alaun/ Marcasith/ Wismut/ ♁ und dergleichen was mehr ist/ hat alles in ihm einen Embryonem, der denn dermassen sol genennt werden/ nach seiner Geburt/ das ist/ nach dem/ aus dem er kommen ist. Et in subseqventi §o. Sich begibt viel/ daß ein solcher Embryonischer Schwefel Metallen gibt/ und nicht die ärgsten/ Gemmas gibt auch lauter und klar/ auch andere Dinge dergleichen: Ursachen/ daß aus derselbigen generation aus der er kömt/ etwas mit ihm eingeleibt wird ein ♁us, und nicht allein ein ♁us, sondern auch eine Corporalität mit sampt ihnen/ doch aber so subtil und flüchtig/ daß kein Feuer bestehen mag/ ꝛc. Capessat sibi qvisqve ex his usum fructumqve, qvem vel maximè optat. Nobis tantum animus est distinctam tradere sulphuris mineralis & ⊕li naturam, ⊕lum nempe esse corpus ⊖inum multis particulis metallicis notabile, sive juxta Paracelsum tr. de ort. rer. nat. ⊖ esse & virtutibus & aliis proprietatibus à cæteris distinctum, sulphur verò Naphthæ minerali unaqve ⊖i balsamico originem debere. Hinc Paracelsus loco superius de sulphure citato: Sulphur minerale ist ein Ertzt an ihm selbst/ und wie die Vulcanische Art die Ertzt lernet scheiden/ also daß der rechte Corpus komme vom unrechten/ als Silber vom Ertzt/ Eisen von Ertzt. Also ist im Schwefel-Ertzt auch ein Corpus, dasselbige sol und wird auch heraußgezogen/ wie Zinn von seinem Zwitter/ dasselbige Corpus ist ein Sulph. minerale, ein solcher Schwefel der vom Ertzt kömt. Ambo ⊕lum & Sulphur in eo sibi qvàm simillima sunt, qvod utrumqve ⊖le volatili balsamico abundet.

§. 7. Naturam si qvis audire negligeret, artem mirâ semper æmulandi matrem cupidine accensam in medium vocabimus, ac in dictorum fidem sollicitè inqviremus, ne solius cerebri pro genies nos protulisse qvispiam suspicionem moveat. Non autem cogitationes nostras in totius mineræ structuram nunc dirigemus, sed qvam telam superius texuimus, pertexemus ac solius ⊕li & sulphuris potissimorũ ac primorum elementorum genium arti explicandum linqvemus. Qvanqvam non desint, qvi ♂ales ejusmodi mineras ex limo & sulphure ad ignotum Helmontii modum, vel ex limo & ol. lini cum Bechero in supplement. I. Physic. subterran. ex templo parare moliantur, vid. eund. l. c. p. m. 82. vel cum ipsa mineræ nostræ materia etiam extra mineras negotium tentent, qva

de

de re adi curioſos Anglos & Gallos. Ex ſimili ▽ Arcevilenſi dicta libero aëris appulſui expoſita pluvialiqve ▽ qvotidiè humectata poſt unum Menſ. vitriolum, poſt alterum Sulphur, poſt tertium plumbum, poſt qvartum ſtannum, poſt qvintum ferrum, poſt ſextum æs ramentis argenti tenuibus notabile ſe elicuiſſe affirmat Kenelm. Digbæus citante ipſum alioſqve Balduino in tr. de Aur. Aur. p. m. 15. Ad vitriolum ergo ſi oculos convertimus ſiccam & humidam viam, qvibus ars procedit, teſtem ſuperioris aſſerti habebimus. Si enim limaturam ♂is vel ♀is ⌒u acido qvocunqve ▽ nonnihil extenſo irrores, brevi tempore & labore vitriolum impetrabis vulgari, qvod foditur, vel ex mineris excoqvitur, qvàm ſimillimum. Eundem effectum ſponte ſua ita evenientem ex ≂atione ☽æ in aqva f. ſolut. cùm ♂e & ♀re te nanciſci experieris. Imò ipſa ☽æ ſolutio in cryſtallos ⊕icos facili negotio indurari poteſt. Saccharum ♄ni, qvod tanto temporum decurſu pro ⊖e omnes habuerunt accuratiores & recentiores vitriolum ♄ni dicere malunt. Curioſum eſt, qvod Nobiliſſ. & Conſummatiſſimus Wedelius de ♁io in ſcriptis ſuis notavit, poſſe ope acidi tartari verū ⊕licum ſaporem ex eo impetrari, unde & tartarum Emeticum non ſine causâ vitrioli naturam imitari commentatur, qvod guſtanti cuivis obvium. Siccam omnibus fermè notam viam idem evincere, qvis non videt? Namqve ſi cum dicta limat. ♂is l. ♀is & ſulphure pulveriſato in pyxide cæmentatoria l. a. fiat ſ. ſ. ſ. & aliqvot horis △i rotæ exponatur, hinc aqvâ ſimpl. abluatur & ſolvatur, poſt debitam evaporationem habebis deſideratum vitriolum. Ad eundem modum calcinatione ſcilicet cæmentatoria æs uſtum parari aliundè conſtat. Interim ſive viâ humidâ ſive ſicca procedas, perinde eſt, cum idem effectus eveniat. Hæc de arte vitriola concinnandi, nunc ſulphuris artificialis modos expendemus. Qvare Rec. Ol. Terebinth. Venet. qvod Naphthæ locum in hoc artificiali ſupplet, Ol. vitrioli ſalis balſamici titulum hic tuentis vel anaticas partes, l. Ol. vitrioli minus, mixta inde convenienti retortæ deſtilla ex ∴ per gradus △em adminiſtrando & copioſum ſatis poſt operationem ſe prodet ſulphur. Nobilius longè adipiſceris ſulphur artificiale, ſi corpori ſulphureo, v, g. ♁io aqvæ reg. effundas, & poſt breve ſolutionis tempus ſolvens menſtruum aqva ſimpl. abluas ac ita ſulphur verè inflammabile, qvod in rubro illo vulgi nunqvam contingit, ≂tes. Per retortam id ſulphur impetrare, curioſum certè

tè

tè & maximè jucundum est. Mechanica est seqvens: Rec. ♁ij. opt. grossè contusi ℥iij. affunde Ol. vitrioli & 🜹 salis āā. tantundem, compositis turbis inde retortæ materiæ qvantitati respondenti, fiat 🜍tio ex ∴ igne initio lento, mox fortiori, transit in recipiens fl. ♁ialium unà cum menstruo portio, in collo sulphur inflammabile reperies, relictô in retorta corpore ♁ij albicante omni sulphure facillimè spoliando, si denuò novum infundas menstruum, ut solam partem metallicam pro ☿io eliciendo ita qvis nancisci qveat. Qvalis cinnabaris ex 🜍 hoc inflammabili cum āā ☿🜔ati misto prodeat, experientia te rem tentantem docebit. Sed qvæ de hac affinitate fortè supersunt, inferius in transcursu simul attingentur.

§. 8. Transeo nunc ad ipsam anatomiam mineræ nostræ Hassiacæ, tentaturus eam qvatuor menstruis elementaribus, inter qvæ eminet 🜁eum. Durissimam esse hanc marcasitam, ac in hoc Wismuthi æmulam, qvilibet illam tractans experiri potest. Nam neqve malleo tam promtè parebit, neqve menstruis illis elementaribus adeo morem geret, unum 🜁um tantum in eandem obtinet ingressum, qvantum nullum aliud. Exponas ergo æstivo tempore 🜁i libero in loco, qvem à tempestatum furore atqve injuriis tutum nosti, ut undiqvaqve insensiles hujus menstrui particulæ absqve impedimento appellere qveant, parant ita sibi ingressum successu temporis, & ⊖ sibi in omnibus simillimum, inter volatile scilicet & fixum medium ad superficiem trahunt, reliqvumqve corpus ante durissimum spicularum suarum perpetuo motu ingratiis cogunt, ut ad instar 🜃æ globi se comminuere manu patiatur, vestitâ simul ejus superficie blandâ lanugine ⊕ica, ac si ex fixo ⊖e factum esset volatile. Sin hyemale tempus labores tuos contingat, cellâ vix commodiorem habebis locum.

§. 9. Postqvam inferius edocendo modo ⊕ica lanugo menstruo 🜄eo opportuno, uti decet est abstersa, exsiccata materia 🜂eo menstro committenda. Eum in finem 🜁eo hactenus menstruo tractatæ mineræ aliqvot ℔arum pondus indidimus retortæ fictili sat benè loricatæ, applicuimus recipiens tubulatum fictile XX ac alio adhuc recipiente munitum, unà cum intercipiente vitreo, infudimus recipientibus aliqvot ℥as 🜄æ simpl. ac post gradus reverberii 🜂i exposuimus. Prodiit sub initium phlegma subacidum & amaricans, egregium, qvoad per analogismum augurari licet, pro tincturis menstruum, transiit paulò post 🜹 sulphuris vol.

qvem

qvem & odore & sapore ⌒um ⊖li vol. hactenus in publicum non adeo protractum imitari, præsentes abundè experiebantur. Tandem cum ⌒us transire desiissent 🜍 vulgare aliqvot horarum spatio insequutum, ut omnem intercipientis capacitatem intercluderet, repræsentabat 🜍, qvod ex mineris 🜍eis excoqvi alioqvin consuevit, vocant Germani den Tripp-Schwefel. Qvod residuum erat caput mort. nigricans multum de pondere deposuerat, sub dio ergo posita portio ejus per aliqvot menses, ut sitibundum ⊖ universale attraheret ac in ⊖ efflorescerет, sed fefellerunt promissa, & abstulimus nullo ⊖ico sapore, ne dicam ⊖lo notabile. Noluimus tamen in his fidem adhibere fallaci gustus nostri sensui, qvare ▽ calid. probè coximus, usqve dum & tertia & dimidia pars in auras abiisset, filtratum hunc liqvorem levi linguam ⊖lico sapore ferientem ut in crystallos concresceret digestioni commisimus, qvos cum successuros desperaremus, ad siccitatem abstraximus, parumqve ochræ ⊖icæ eorum loco retulimus. Anteqvam verò abstractionem ad siccitatem moliremur egregium jucundissimumqve se obtulit phænomenon. Steterat per 4. l. 5. hebdomadum spatium filtratus ille liqvor immotus, abstractionis ergo negotio incubituri ecce cuticulæ loco se offert iris, qvæ in destillatione butyr. ☿ii cinnab. ♎atione præire consuevit, circumnatantibus hinc inde particulis aurum foliatum præ se ferentibus, lætabamur ac si magna sophici operis pars revelata esset, de eo certi nullam manum hic se miscuisse; at cum auri certitudinem exploraturi calamo foliatas istas particulas peteremus sensim sensimqve summum, qvem habebant, colorem mutarunt atqve in ochram summè flavam abierunt. Majorem certitudinem Phænomeno conciliaturi repetiimus negotium, re ex animi sententia iterum cedente. Ostendimus rem curiosam magnis Viris ut judicium ferrent & testimonium redderent. Interim etsi spes concepta decollarit, egregia tamen argumenta ad manum dat 🜍 hujus mineræ ⊙are stabiliendi.

§. 10. Sed & alia △is examina in partes vocavimus, ac ne docimasticam artem neglexisse incusaremur, tentavimus qvædam, qvæ ad rem facere videbantur. Dubiam atqve ancipitem contentionem hic Metallurgi habent, num docimastica ars ♂les mineras in parva qvantitate explorare qveat? Negarunt autem & pernegarunt, qvi harum rerum usu primas facilè tenuerunt, ac non tam

 difficile

difficile qvàm impossibile asseverarunt. Ut tamen experimento constaret; qvid in re dubia statuendum, ac num qvicqvam metalli ejusqve generis contineret, assumsimus capit. mort. superioris, Borrac. Venet. āā part. æqv. ✝lo indita △i in anemia commisimus, tegendo ✝lum carbonibus ac △em sat diu conservando; fracto ✝lo nulla Regulina portio apparuit scoriis totum negotium rependentibus. Alio opere, cujus fama nullam hactenus erumpendi nacta est copiam, vitrificationem mineræ meditati sumus. Habet sibi Excellentiss. Dn. Præses singulare & arcanum fundens atqve vitrificans, cujus ope non ita magno temporis spatio durissimæ metallo divites in Regulum coguntur mineræ. Qvare recepimus capit. mort. nostri part. j. fundentis hujus part. ij. ignivimus ✝lum huic fundens immisimus donec flueret, tum adspersimus caput mort. illud & auximus △em certo interea pro præmio nobis promittentes metallicum Regulum, cujus tamen simulachra solùm scoriis, inter spersa ostendebantur. Ambo, qvæ retuleramus ex fusione corpora magna cupiditate magnetismo examinavimus, & ecce scorias comminutas, qvas impotentius toto adhuc corpore desiderabat Magnes, mirabili suo desiderio post cupidè satis alliciebat, illo tamen Regulino aliqvantum dicto fundente tractato magis semper inhians. Causam, qvod in exigua copia ♂ vix ac ne vix fundi possit, in varia transferimus. Censent qvippe Metallurgi abundare ♂tem voracissimô qvodam 🜍e, qvod omnia fermè metalla subigit, volatilisat atqve in auras pellit, excepto unico ☉e, qvem propter fixissimum 🜍 devictum subire neqvit, & illustrant rem ∞ci & ☿ij operationes, de qvibus qvisqve experimentis harum rerum instructus judicium feret. Accedit qvòd consueta hic & constans △is vis desit, cum in parvo negotio ita regi & intendi neqveat. Tandem si copiosam harum minerarum comitem 🜃am ejusqve duritiem expendimus ea levem △em spernit, ac nisi virilis & diuturna flamma illam exoret atqve fusionem promoveat carbonum accessu adjuta vires colligens ♂tem non dimittet.

§. II. Cum steriliorem horum effectum penderemus, per 🝛ationem aliorumqve metallorum immissionem opus moliti sumus. Hôc animo liqv. ♂is ☉ar. q. l. accepimus, instillavimus Ol. ♀ri p. d. tantum, qvantum 🝛ationi sufficere videbatur; turbata hôc primum massa ac nigricantes nubeculas hinc inde effingebat,

bat. Rationem Phænomini in eo qværo, qvòd imminente novo acidi & alcali conjugio partes metallicæ in ♂ali hoc liqvore ab acido ⊖e ligatæ hactenus & detentæ solvantur vinculo ac ideo præcipites eant in fundum. Illa verò qvæ coiverunt ⊖ia in mediæ naturæ ⊖ emergunt, ♀rum scilicet ⊕atum Tachenii. Scriptum reliqvit Tachen. in Hippocr. suo Chym. Cap. VI. p. m. 66. & seqq. ex ♀ro hoc ⊕ato ♄ari posse ♎um, qvem plures in errorem adduxisse, inter qvos Glauberus primus, publicè multis constat. Qvippe qvidem proceessum ex dicto scripto hauserant, nullam rationem habentes tartari ejus ⊕ati de qvo Tachenius loqvutus, ♀rum ⊕atum vulgarem eum in finem △e fortissimo exercentes ac miserè divexantes, nullo ♎us præsentis signo apparente, qvæ in transcursu hic dicere placuit. Qvod fundum petierat corpus metallicum ♂le 🜊lo traditum hincq; reverberii △i, dedit illud crocum, qvalem ex ♂te alioqvin impetrare consueverunt. Fusioni cum borace noluimus ulterius incumbere de ♂ali mineræ natura satis certi. Sed metallorum immissionem aggressi ♀eas primò laminas dicto liqvori immisimus, ut luculentius ♂alis mineræ natura pateret; & omni tum ♀ri ♂ sub amplexu nigredinem induxerat, manifestô asserti documentô. Post alterum diem cum ♂te experimentum fecimus, injecimus hunc eidem liqvori ac in locum calidum reposuimus, non ita multò post qvam ♀ri contrario corpori, hanc sibi ipsi impressit nigredinem.

§. 12. Ad 🜄eum menstruum progredimur, visuri qvid aqva f. qvid aqva reg. hic valeat? Ne miretur qvis qvod 🜄eum appellemus, cum ⊖ia non soluta admodum æmulentur 🜄am. Eandem itaqve mineram, qvam △eo menstro ante committebamus hic assumsimus, infudimus aqvam f. atqve l. a. in cæteris processimus, novum subinde menstruum, veteri decantatô, affundendo, donec tota tandem in offam albicantem abiret. Factæ solutioni, qvæ 🜍eis particulis undiqve scatebat, ol. ♀ri per deliqvium instillavimus, ut constaret num magisterium qvoddam, uti in Wismuto fieri consuevit, hac 🝫tatione esset clargitura? sed post varias turbas diversosqve, qvos effingebat, colores, crocus consedit, qvem qvid prohibet, ne magisterium nuncupem. Qvod nobis per analogismum inflammabile 🜍 ex solutione hujus mineræ cum aqva reg. per præcipitationem promiseramus, non successit: apparebant eqvidem post 🜄æ simpl. affusionem multæ particulæ pingues

instar ol. sulphuris moti non ▽ati indicio. Cum per ol. tartari p.d. factam cum aqva reg. solutionem ▽aremus, idem colore crocus, qvem ante ex superiori solutione impetraveramus fundum petiit. Diutius hoc menstruo mineram exercere, aliaqve dubia producta hinc expectare, & temporis ratio angusta & sterilis usus vetabant.

§. 13. Superest ut ultimi ▽ei menstrui naturam tradam. Qvicqvid hactenus dictum principiorum ▽æ hujus Hassiacæ fidem & veritatem saltem stabilivit, nunc eorum usum, qvem præbent nobis ob oculos ponemus. Potissimam verò partem ⊕lum constituimus virgineum ac ☉larem liqvorem naturalium, qvæ hauriuntur, accidularum vices haud temerè sustinentem suppeditans, cujus parandi utendive modum hîc prædicabimus. Interim non animus est, totam ⊕orum materiam hîc perseqvi, cum innumeræ species ab autoribus factas & priscis jam seculis Hippocratem, Oribasium, Galenum, Dioscoridem, nostris Paracelsum, Helmontium, Thurneysserum aliosqve in eo laborasse viedeamus; Silentio nunc omnia reliqva transmittemus, ac solius nostri rationem habebimus, in immensum alioqvin se extensuro scripto, & laboribus, qvos reqvirit omnium ⊕orum analysis, & meam & aliorum ætatem transcensuris.

§. 14. Paraturus ergo acidulas has artificiales, Rec. mineræ nostræ martialis △cum illud menstruum, ratione superius præscriptà sufficienter expertæ q.l. inde cucurbitæ vitreæ capaci, ac affunde ▽am pluvialē destillatam, vel florum acac. vel liqv. betul. aut ror. majal. qvod perinde est, ut tribus digitis emineat liqvor, muniendo vas alembico cœco, lentæ tum expones -erum vel ∴ digestioni, qvo nobilis Tinctur. aurea, interdum rubini colorem exprimens extrahatur, qvam calore in vase pereunte vel cautè decantabis, vel per Filtrum trajicies. Habes itaqve liqvorem benignum atq; Polychrestum, dignum, qvem inter arcana referas. Sin abstractione eum concentrare satagas, frustra desudabis, nisi initio, qvod tamen cautus præcavebis, vel in ▽ei menstrui affusione excesseris, vel in aërea solutione defeceris, ipse tibi labores cumulando. Qvantum enim liqvoris ipsi hôc detrahis, tantum contentæ ochræ ⊕icæ tibi in fundum demittet, imò si, qvod nobis accidit, saturatior fuerit, sponte eam, qvi naturalium acidularum peregrè allatarum mos est, sæpenumero deponet. Idem expectabis, si diutius in calidiore loco eum conserves, cum fundo & parietibus vitri abundè ejusmodi

ochram

ochram inducat. Collegimus ex vitris hanc ochram atqve ããtica borracis portione ♃lo ignito commisimus, spem nobis injicientes, fore, ut Regul. fortè partis aliqvid appareret, sed omnis in scorias abiit, qvas tamen cum magnetismo exploraremus, non sine delectamento ac ♂alis naturæ confirmato argumento easdem attraxit.

§. 15. Nunc ut contra eos, qvi contrariam de his tenent opinionem præsidio me communiam, capitulatim genuina ♂alis hujus liqvoris elementa perstringere necesse duxi, esse nempè subtilius ♂tis ⊕, qvod & metallicis partibus, & spiritibus acidis sulphureis originem debet ⊖e △eo ⊕so volatili, extra omnem controversiarum aleam menstruo verè universali, bonis auctibus auctum, & qvos minerales naturales sæpè fovent acidulæ qvisqvilias, ceterasqve peregrinas res, iis omninò vacuum, ⊕i dotes naturales acidulas peregrè allatas comitari solitas, ex cœlesti hoc munere libeberali satis manu repetens.

§. 16. Hôc fundamentô operandi modo substructô ad eundem descendo. Qvem cetera ♂alia præstant effectum eum & in nostro liqvore prosperiori successu nobis promittere nulli veremur, qvod si enim nunc labores tuos, uti naturæ interpretem vel maximè decet, seriò naturalium acidularum examini des, exiguam profectò & tam profusô liqvori non adeò respondentem desideratæ medicinæ partem in facili experieris, ut periculosa ita alea sit, pro potu ordinario easdem imperare, & interim incertum habeatur, num ▽æ moles ventriculi fermentum subvertendo & nauseam acidularum hinc inducendo, num aliud qvid, speratum successum intercipiat. Sin reliqvorum ♂alium vel crudorum ut limaturæ martis, vel artem expertorum ut crocorum, naturam accuratius expendas, parvarum dosium in his inefficacia, magnarum tædium ventriculiqve labores, qvos inducunt, dum gratiora ad manus sunt, Te ab eorum usu deterrebunt. Tincturas ♂ies, qvas vulgo parant, castrari potiùs, qvàm castigari acidis menstruis experti Viri abundè monuerunt, & qvis naturæ peritus non videt inania medicamenta ita propinari, missis iis, qvæ certionem effectum spondent. Nostrum liqvorem excellentiâ coloris, saporis, gratiæ dosis & omnium maximè effectus supra hæc omnia esse, experientia loqvitur. Operandi rationem talem statuimus, dum liqvor hic, ⊕icis salinis particulis totus turgens, exoticis ac tantum non corrosivis in corpore ⊖ibus obvius factus, confestim congreditur cum illis atqve tamdiu con-

tendit,

tendit, usqve dum viribus exuta cum parte ejus terresti in tertium coëant nigrorum carbonum specie per alvum excernendum: Pars verò nobilis ⊖ina in medium ⊖ fundendi, aperiendi, coagula solvendi, incidendi, ac per diuresin pellendi virtutibus egregium mutatur. Adversus has acidularum virtutes stat Helmontius Parадox. V. §. 3. statuens acidulas non superare hypochondria, adeoqve idiopathicis captis & thoracis affectibus succurrere non posse, vanâ adjectâ ratione, ob mineralem indolem ad nutritionem esse ineptas, egregiô, qvod conseqvitur, argumento venena ipsam massam non penetrare, cum nulla nutriendi vis insit. Et qvid qvæso in operatione acidularum ⊡am, salivam aut sudorem urgeret? Adhæc qvid non in stomachale fermentum hæ acidulæ obtinent? Subtilis ac symbolicantis ⊖is volatilis sub acidi portio languentem ac dejectum appetitum viriliter restaurat, Vid. Helmont. Parad. 5. §. 7. partiumqve tonum restituit deperditum, 🜔, qvo pollent minerale omnem putredinis occasionem averruncat, & si qvæ fortè adsit, conficit, atqve hôc ipsô certissimô prosperrimôqve successu vermium seminaria ejicit. Nec externis usibus carent; medentur inflammationibus, ratione superius jam explicata, perustis membris 🜔e suo anodyno opitulantur, vasorum anastomosibus subsidio eunt, sitim inordinatam delent, omnesqve bilis furores, oleosam & volatilem ejus partem temperando, componunt. Ut in summa dicam, qvas virtutes ⊕lo tributas vides, jure etiam his acidulis adscribes, qvanqvam monente Parcelso varia præparatio, qvâ subinde alias adsciscit virtutes, & qvos crudum eos in aqvam conversum aut oleum destillatum non præstat effectus, diversam faciem induere possit. De ⊕olo autem rectè Paracelsus capite 8. de ⊕lo: In Vitriol ist eine vollkommene Heilung aller Geelsucht / alles Griesses und Sandes / aller Fieber / aller Würmen / aller hinfallenden Sucht / und in den Verstopffungen des Leibes / ein groß deoppillativ, ohne andere Tugend mehr. Et paulo post: Er ist vortrefflich zum chirurgalischen Kranckheiten außwendig des Leibes / als Erbgrind / Erbaußsatz / Erbgeflechten / und sonst wo keine Artzney zukommen kan / und todt ist gegen der Kranckheit / das greifft der Vitriol mit Gewalt an / und heilet von Grund aus was solche Kranckheiten sind.

§. 17. Viarum, per qvas acidulæ practicis operari consueverunt, mentio etiam injicienda. Variant verò ex variante usurpantium

tium conditione per alvum ac [?]am pellere notum, & experientia qvemvis usurum docebit, Rarò per vomitum se expediunt, nisi benigna ac proclivis ad hunc motum natura concinnat, qvanqvam ex usu acidorum sæpius cum Euphoria vomitum successisse, magnorum peritiâ virorum fides confirmet. Accidit ut nonnunqvam per sudorem operentur, ortô tamen sudore, non â causa positivâ, sed privativa fuso scilicet & confecto acido viscido primarum viarum coagulatore; hinc causa qvoq; ducenda cum per salivationem saburram ejecerunt, fusô nimirum ac in libertatem à coagulatore vindicato serô, qvod observavit Illustr. Schneider, lib. 4. de Catarrh. cap. 5. de evacuantib. per Ptyalism.

§. 18. Magnum fortè & insigne videbitur nefas, si anteqvam utendi modum, dosin præparationemqve tradam, ulterius contra communes acidulas laborem, atq; tum ratione tum experientiâ, etsi alienâ ex parte, confirmata earum incommoda hîc in medium proferam: primum, qvod à communium acidularum usu aliqvem arceret imperati temporis, æstatis anni, angustia est. Namqve cum inter montium tractus sitæ sint ut plurimum acidulæ, loco tempestatum fluctibus ac procellis serius paulo confidentibus opportuno, commodiori manum injicere non licet, vigentibus ceteris anni partibus admodum vis sylvestribus vulgò den Wildwassern. Et qvis vel levi medendi notitiâ imbutus ignorat, mala his remediis vel mitiganda, vel profliganda, verno ac autumnali cumprimis, qvin nullo non anni tempore urgere? Accedit itineris paucissimis conficiendi difficultas, obstantibus nunc loci intercapedine, nunc infelici anni tempestate, nunc negotiorum turbine, nunc valetudine jam jam vacillante. Ac sumtus non parvos faciendos si qvis expendat, per moras sæpè propositum dispendet ac in longum trahet, prætervolantibus ita advigilandi valetudini occasionibus. Tandem qvid non victus mutatio dissuadet? accedunt multi non adeò integrâ valetudine consuetâ mensâ deficientes, eoqve minus perigrinâ corpus solaturi. Et ex sententiâ valentes mutatione aëris ac victus scabie aliisqve cutis impuritatibus corripi, vulgus etiam novit. Hæc multaqve alia, qvibus hic nullus recensendi locus, domesticarum & portatilium harum acidularum præsentissimo usu effugi possunt.

§. 19. Qvod si igitur propinandi occasio monstretur, & omni ætati, (ubi tamen ob coagulationis metum lactantes excipies)

 & utri-

& utriqve sexui, qvolibet tempore, tuto poteris concedere in usum, modò qvod Medico artis perspectæ vel maximè convenit, contra-indicantium, singularis idiosyncrasiæ aut Symptomatum notabilium habeatur ratio, æger recto ac sapienti utatur regimine, usumqve earum, si semel cœpit, per aliqvod tempus continuum esse sinat. Conferunt autem chronicis cumprimis affectibus, Scorbuto hinc ac hypochondriaco malo, omni ferè tempore insilientibus & redeuntibus, Cachexiis, mesenterio familiaribus obstructionibus ac lactearum cum receptaculo infractui, hydropem ascitem sæpius mentienti. Medentur hepatis, lienis ac renum obstructionibus, dolori capitis à consensu & uterinæ soffocationi. Vid. Helmont. Paradox. V. Utendi ratio cum communium usu conspirat, unde eadem momenta hîc reputanda: corpus nimirum per digestiva ⊖ina, tertia maximè, acidularum harum usui est parandum, ubi egregia experieris ⊖ ♀ri volatile aut aliud per ♀ri acidum coagulatum, ♀rum ♀isatum, 🜃am fol. ♀, ♀um ⊕atum ac ⊕atum, Bryon. arum, fl. ⊖✱ci, Tinct. ♀ri simpl. & ♃atas, item cum ⊖e Calc. viv. productam, ex Gummi ammoniaco & Galbano prodeuntia, Myrrhata item ac ex his composita Elixiria Alcalina. Hinc si morbi & ægri conditio non aliud suadeat, vomitorio vitiosam ex parte exantlabis materiam, ventriculo plerumqve spina morbi in chronicis affectibus inhærente, qvem nisi judiciossimi Practici Barbette judicio vomitorio liberes, actum ages. Sin vomitorio vires ægri non sufficiant per Epicrasin eum purgabis & ita ad ipsas acidulas descendes. Sed vehiculum nimis angustum hic fortè accusabunt, qvod non habeant ⊖ia sylvestria 🜃tata aut abstersa cum qvo coëant, aut à qvo imbibantur. Ne ergò ægris hîc conqverendi materia supersit, præscribi potest decoctum qvoddam ex diureticis, Scorzon. fragar. vincetox. fœnicul. aromate correctum, qvod tamen non cantharis sed unciis cum acidulis sorbendum admetieris, qvoniam si qvantum oportet biberint, benè se habent, & facilè ferunt monente id Hippocrate, & citante eum Helmont. Paradox. VI. De generali dosi dico eam non posse exactè definiri cum morbi ingenium patientisve indoles eam nunc augeant nunc minuant. Sufficiet interim propalâsse, qvòd à guttis 12. ad 20. in teneriori corpore, à 30. in adulto ad ℥j. vel ij. imò ℥ß. progredi liceat, fide Chymica evincente, concentratas nostras acidulas parvâ hâc dosi tantum desideratæ medicinæ continere, qvantum ex cantharo

ſive ℔is ij. acidularum Ægranarum impetrari poteſt; Eô tamen obſervatô, ne peregrinorum admiſtorum ⊖ium ſeries huc trahatur, qvod ipſum præter Macaſium multos alios dudum notâſſe conſtat. De cætero per varias parvasqve doſes in ſummam ire, ac elapsò aliqvô tempore, à ſumma ad primam redire, è re veletudinis eſt. Segniorem ſi qvis forte operationem ſentiat, vel Clyſtere emolliente, vel Pillul. ♀eis, Aloeticis, Ruffi, qvarum maſſa Elixir propr. jam dedit, aut Ammoniacalibus aliqvot ⦶i fixi granis ſtimulatis pigriorem alvum officii monebit, vel aliis, qvæ innumera fingi poſſunt, paſſul. aut Tamarind. pulpa eam exorabit. Palmam hîc reliqvis arcan. ☿i dulce p. deliqv. & Tinctura ♁ii laxans præripiunt. Sed & exhibendi acidulas noſtras tempus eſt attendum, qvod optimum eſſe matutinum circa 5. vel 6. ſtatuo. Sumto medicamine moderatus corporis motus non tam ſudori qvam □æ promovendæ commodè inſtituetur; At animus ab omni affectuum pugna, exceptâ lætitia, ſit liber. Dum hæc aguntur enul. campan. diureticæ ſatis myva, nec non aniſi fœnic. ſimiliumqve momentum ſubindè in uſum trahi poteſt. Si in valetudinem expedire videatur veſperaſcente cœlo tertiâ ante coenam fortè horâ acidularum uſum repetere potes.

§. 20. De Diæta ſiqvid præcipiendum, disſiliendum iterum ab Helmontio ſine diſcrimine omnes cibos concedente ac ſolam eorum qvantitatem hinc excludente. Et qvamvis ex Sacris rerum â Deo conditarum bonitatem adducat, ea tamen Parentum lapſu atqve agri maledictione multum deperdidit, viresqve plurium rerum in venenum commutatæ, unde etiam mortalium vitæ dies ſubindè breviores facti, ac ipſi acceſſu proprii luxus tot morbis, tot calamitatibus mulctati ſunt. In eo cum Helmontio facimus, qvoad Celſi regula permittit: non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores, optimum eqvidem ſanitatis ſtudium eſt. Ciborum ergò potusve qvalitati potius explorandæ incumbemus, de parandi arte & modo ſumendive tempore ſolliciti. Nam qvid vel ſola potus mutatio efficiat, multi infelices Cacochymiam, febres, aliosqve ſat periculoſos affectus ita incurrentes, confirmant. Itaqve pro potu hic cereviſiam ſat defecatam, nec adeò juvenem, triticeâ verò propter obſtructionis periculum ſemper exulante, ac modicum vinum vetuſtius paulò & generoſum, uti Rhenanum eſt, eliges. Panem benè coctum triticove temperatum, cave tamen ne nimis re-

centem assumes. In carnium esu bubula juvenilis, ovina, vitulina, gallinarum ac ferarum vesci consvetarum, nec non inter pisces gobiones, Lucii, Percæ concedi possunt. Ex secunda mensa Pruna, Poma Borstorfiana, Cynosbati siccata ac cocta conveniunt, vitatis acidis, butyro frixis, lacteis ac flatulentis. Veneris parca veniat lubido, somno à meridie non indulgeatur, nec nocturnus septem vel octo horas excedat. Locus, qvô æger, degit salubri auræ sit opportunus, ac alvus singulis diebus sit soluta.

§. 21. Qvousqve acidulis sit concedendus locus, difficile judicatu, cum idem hic contingat, qvod superius de dosi diximus, interim à juvantibus & nocentibus magna sumitur indicatio, qvô ipsô prudens Medicus sufficienter erudietur. Qvanqvam non animus sit abjiciendus, si expectationi haud satisfaciat statim eventus, cum communis teneat opinio, qvin experientiâ confirmatus canon sit, acidularum effectum post aliqvot demum menses sæpius sentiri, & qvidni alio tempore curam de integro repeteres, si unâ vice omne malum non cesserit. Post unum elapsum Mensem, ut plurimum acidularum nostrarum usui finem imponere potes, cum hôc pactô imminentium menstruorum in seqviori sexu negotium non turbetur, licet has acidulas & menstruatis & prægnantibus tutò propinari posse, EXCELLENTISS. DN. PRÆSIDIS, aliorumqve expertorum fide satis confirmatum sit. Sin verò omnino ægros ex acidularum usu pejus habere, aliosqve morbos accidere videas, differenda vel in tantum, vel in totum omittenda earundem usurpatio.

§. 22. Supersunt adhuc alii qvidam modi, qvibus ars naturam æmulari molita est, impari tamen successu. Nam qvod vel Aroph. Paracelsi, vel ferrariorum aqva, vel Vitrioli ♂is solutio, vel ♎ Vitrioli ♂is aqva extensus hos nostrarum effectus nec præstiterint, nec præstare valuerint, non ratio solum sed juncta ipsi experientia edocuit. Qvid reliqva ♂ialia possint, superius dictum.

§. 23. Ad ultimum prolixum authorum acidularum usum svadentium aut dissvadentium texere ordinem, facili negotio fieret, nisi præfixa nobis brevitas impedimentum poneret. Antiqvorum jam superius §. 14. mentio injecta & adhuc injicienda est, ne lectorem in aliqvo dubium linqvamus. Videndi ergò Hippocrates lib. de Aere & Aqvâ, Hali Abbas theorem. 5. Avicenn. libr. 1. c. 16. Vitruvius lib. de Aqvis 8. qvibus suum calculum tandem

Helmont,

Helmont, cum suo Epitomatore Grembs addit, omnes de acidularum usu secus suspicandi ansam præbentes. Sed solvit nodum distinctio inter materiam acidularum usu confirmatam, & peregrinis ∞alibus fumis inqvinatam, item legitimum & illegitimum acidularum usum. Accidit etiam in medicâ arte sæpius, innocentissima medicamina infelicis exitus haberi autores, aliis interim erroribus aut latenti visceris labe tragœdiam ludentibus.

§. 24. Coronidis loco pauca qvædam, qvæ præsens materia reqvirere videbatur, hîc inseram, qvanqvam ulterius excurrendi multa ad manus sint. Qvod ex Hæmatit. lap. cum ⊖✳co Paracelsi Aroph impetrare consveverunt, idem ex duabus partibus ⊖✳ci & Marcasitæ hujus part. j. junctis per ♎ationem elegantissimorum florum specie adipisceris. De anodyno vitrioli ♀e, qvod ex eâdem Marcasita se paraſſe testatur, Jorhenius prax. Chymiatr. Sect. 1. cap. 2. de Phrenit. judicium sustinemus. Sed disputant de eo multi præter exercitatissimum B. Ludovici, ac vix reperiri contendunt, Archei tumultu non tam per positivum qvam privativum principium componendô, ⊖ium sc. silvestrium & ferocientium extinctionem & ruinam. Certè si inveniendi adhuc illud sulphur spes supersit, non vanô consiliô id in minera nostra qvis qværet, multis argumentis in theoriâ adductis magnam rei fidem conciliantibus.

S. D. G



COROL-

COROLLARIA.

I.

Vitriolum Drief Helmontii, & Lapidis Butleri basis habetur.

II.


Virtutes Aromatis Philosophorum, sive Aroph Paracelsi ab intestina explicati vitrioli potestate oriuntur.

III.

Vitriolum, qvanta magnes in macrocosmo, tanta in Microcosmo miracula præstat decenter paratum.

IV.

Vitriolum Solis ideo rarum, vel nullum, qvôd totum perfectè fixatum, resolutio verò centri difficilis.



Claris-

Clarissime

DN. EGERLANDE,

DUm aggrederis Visitare Interiora Terræ, igneumqve ingenium Tuum in Vitriolo exerces, faventem sane Martem experiris, ipsa inter bellorum impedimenta armorum materiam liberaliter otio Tuo indulgentem. An qvod Generosi Parentis Tui p.m. fortissimi olim Patriæ urbis Præfecti virtutibus beneficium debeat, an qvòd gratitudinem probet solari ipsum, qvod facis, dignitate coronanti. Potuisset latius extendi argumentum hoc, non verborum qvidem, sed experimentorum accessu, ast multa satis compendio tradisti. Fortè, qvod propediem fore spero, explicabuntur, qvæ restant, in Conjugio Spirituum Vitrioli & Tartari volatilium,

aut

aut ipso Aristotele Chymico. Interea, ut qvò contendit honesta ambitio Tua, proximè pertingas ad summa, animitus precor

T. Cl. Studiosisſ.

Præses.

